Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2059
Quelle:
Copyright:

mittitur *Prologus IIII^or. Evangeliorum. Plures fuisse, qui Evangelia scripserunt* &c. et *Epistola Sancti Jeronimi ad Beatum papam Damasum. Novum Opus me facere cogis* &c. Item *Argumentum Secundum Matheum. Matheus ex iudea sicut in ordine primus ponitur* &c. quae omnia in *Bibliis glossatis* habentur. Succedit Index *Capitum* XXVI. satis disertus, demum ipsum Evangelium locis harmonicis aliorum Evangelistarum diligenter in margine adnotatis. Atque eadem horum est ratio; *Marcus* enim Prologum: *Marcus Evangelista Dei et Petri in Baptismate filius* &c. et Indicem *Capp.* XIII. *Lucas* Prologum: *Lucas Syrus Antiocensis* &c. et Indicem valde disertum *Capp.* XXI. *Johannes* Prologum: *Hic est Johannes Euangelista vnus ex discipulis* &c. et Indicem *Capp.* XIV. praefert. Exordium *Lucae* usque ad verba: *Fuit in diebus Herodis* &c. non est accensitum *Capiti* I. sed continuo post Indicem scriptum, et in *Cap. Job.* ultimo post verba: *quę fecit ihesus*, adjecit miniculator: *Finit*, verbis: *Sunt autem et alia multa* &c. deinceps instar Epilogi subjunctis.

Addam etiam in curiosorum gratiam, quod ad calcem praeclari hujus Codicis a manu ejusdem Seculi reperi titulo: *Ad conficiendum Incaustum. De Galla accipe 1. libram. De Fytreolo fertonem unum. De Gummi 1. fertonem. De Vino libram vnam et dimidiam. Horum quodlibet in mortario specialiter contundas. et in vino positum per aliquantulam horam moueas. et sic de quolibet fatias. sed primo gallam imponas. secundo fytreolum. tertio Gummi. et hoc in vase ereo uel eneo.* Galla significatu theotisco supra posito vocatur *Aichaphel*, Vitriolum *Chopherrouch*, Gummi *Flidem*, quod postremum mihi ignotum. *Ferto* (*Farthing*, *Vierting*, *Viertel*) quarta pars librae hic esse videtur; *Incaustum* vero non Εγκαυστον Graecorum, sed Atramentum scriptorium puta.

Codicem olim a se emtum *Joh. Faber* egregius ille Vindobon. Antistes a. 1540. Paedagogio suo ad D. *Nicolaum* legaverat.

DCCCXXXV.

Codex membraneus lat. Sec. U. 21
XII. Folior. 176. f. luculente, nitideque exaratus et rubricis distinctus hoc Titulo est: *Incipiunt Lectiones cum euangeliis per circulum anni.* Initium a Vigilia Nativitatis. *Lectiones* seu *Propheticae* sive *Apostolicae*, uti et *Evangelia* exhibentur integre, prout in Missa recitantur. Officia *de Tempore* pertingunt usque ad *fol.* 129. p. 2. atque ibi: *Incipit Breuiarium per totum annum de Sanctis*, et quidem a S. *Columba* Virg. 31. *Decembr.* recteque *Breviarium*; passim enim non nisi initia *Lectionum* indicantur. SS. *Waltpurga*, *Udalricus*, *Kylianus*, *Arbogastus*, *Afra*, *Verena*, *Magnus*, *Emeramus*, *Pirminius*, *Othmarus* Dioecesin *Argentinensem*, aut *Augustanam* innuere videntur. *Fol.* 157. incipiunt Lectiones *de Communi SS.*